

Arctos minor.



Quinq; &
uiginti

genere

Ante Aglaosthenes qui Naxica conscripsit, ait Cynosuram esse, unam de Iouis nutricibus, ex Ideis nymphis, ab eius quoque nomine & urbem que Hestria uocatur, a Nicostrato & sodalibus eius constitutam & portum qui ibi est, et agri maiorem partem, Gynosuram appellatam. Hanc autem inter Cynuras fuisse, qui Iouis fuerunt administri. Nonnulli & Helicem & Cynosuram nymphas esse Iouis nutrices dicunt, & hac re etiam pro beneficio in mundo collocatas, & utrasque Arctos nuncupatas, quas nostri Septentriones dixerunt. Sed maiorem apertum complutes plaustrum similem dixerunt, & amaxam graece appellarunt. Cuius hanc memoriae prodita est causa. Initio qui sidera peruiderunt & numerum stellarum in unaquaque specie corporis constituerunt, quod non arctum sed plaustrum nominauerunt, ex septem stellis duae quae pariles & maxime in uno loco uiderentur, pro bobus haberentur, telis quoque uero quinque figuram plaustrum simularent. Itaque & quod proximum huic est signum Bootem nominari uoluerunt, de quo posterius plura dicemus. Aratus quidem non hac re Bootem nec illud plaustrum dicit appellari, sed quod arctum uideatur ut plaustrum circum polum, qui boreas appellatur uersari, & Bootes agitare eam dicatur. In quo non modo diocriter uidetur errare. Postea autem de vii. stellis ut Parmeniscus ait, quinque sunt a quibusdam astrologis constitutae, ut ursae species non septem stellis perficeretur. Itaque & ille qui antea plaustrum sequens Bootes appellabatur, Arctophylax est dictus. Et iisdem temporibus quibus Homerus fuit, haec arctos est dicta. De septentrionibus enim ille dicit, haec utroque nomine et arctum & plaustrum nominari. Bootis autem nusquam meminit Arctophylax dici. Incidit etiam compluribus erratio, quibus de causis minor arctos Phoenice appellaretur, & illi qui hanc obseruant uerius & diligentius nauigare dicuntur, & quare si haec sit certior quam maior, non omnes hanc obseruent, qui non intelligere uidentur de qua historia sit profecta ratio ut Phoenice diceretur. Thales enim qui diligenter de his rebus exquisiuit & haec primus arcton appellauit, natione fuit Phoenix, ut Herodotus Milesius dicit. Igitur omnes qui Peloponnesum incolunt priore utuntur arcto, Phoenices autem quam a suo inuentore acceperunt obseruant, & hanc studiosius perspiciendo diligentius nauigare existimantur, & uere eam ab inuentoris nomine Phoenicen appellant.

Serpens.

Hic uasto corpore ostenditur inter duas arctos collocatus, qui dicitur aurea mala Hesperidum custodisse, et ab Hercule interfectus, a Iunone inter sidera collocatus, quod illius opera Hercules ad eum est profectus qui hortum Iunonis tueri solitus existimatur. Ait enim Pherecydes, Iunonem cum duceret Iupiter uxorem, Terram inuenisse serenas aurea mala cum ramis. Inde Iunonem admiratam petisse a terra ut in suis hortis serenas, qui erant usque ad Atlantem montem. Cuius filiae cum saepius de arboribus mala deciperent, Iuno dicitur hunc ibi custodem posuisse, hoc etiam signum erit quod in sideribus supra eum draconem Herculis simulachrum ostenditur, ut Eratosthenes demonstrat, quare quoduis licet intelligere hunc maxime draconem dici. *Nonnulli etiam dixerunt hunc draconem a Gyantibus Mineruae obiectum esse, cum eos oppugnaret, Mineruam uero arreptum draconem contortum ad sidera iecisse & ad ipsum axem caeli fixisse. Itaque adhuc eum implicato corpore uideri, ut nuper ad sidera perlatum.

Arctophylax.

Oui. uidetur Lyconia ipsum pro Boote accipere li. 6. Fastorum, sic enim inquit, Tertia post notas remouere Lyconia Phoenice fertur, et a tergo non habet ursam metum.



E hoc fertur quod sit Arcas Calistonis & Iouis filius, quem dicitur Lyconem cum Iupiter ad eum in hospitium uenisset, cum alia carne concisum pro epulis apposuisse. Studebat enim scire si deus esset, qui suum hospitium desideraret. Quo facto non minori poena est affectus, nam statim Iupiter mensa proiecta, domum eius fulmine incendit. Ipsum autem in figuram lupi conuertit. At pueri membra collecta & composita in unum, dedit cuidam Aetolorum alendum, qui adolescens factus, in syluis cum uenaretur inscius uidit matrem in ursae speciem conuersam.

lam,